



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1713**

Dubium V. Quæ conditiones ad materiam consecrationis requirantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42545**

## DUBIUM V.

Quæ conditiones ad materiae consecrationem requirantur.

452. **R** Esp. I. Ad validam consecrationem requiruntur duæ conditiones, I. est, ut materia
- » Sacerdoti consecranti, moraliter & sensibilibiter
- » præsens: Ita communiter; & est certum. Ratio
- » petitur tum ex institutione Christi, & verbis
- » formæ, Hoc, & Hic, quæ non verificarentur, cum
- » sint demonstrativa: tum ex perpetua Ecclesiæ
- » praxi nunquam consecrantis, vel etiam bened-
- » dicentis res absentes: tum etiam ratione Sacri-
- » ficii, quod requirit hostiam præsentem. v. Bon. d.
- » 4. q. 2 p. 6 Lay. l. 5. t. 4. c. 2. Unde resolves
- » I. Validè consecratur vinum in calice coop-
- »erto, vase vel cantharo clauso; panis in can-
- »tharo; hostiæ in ciborio, vel in cumulo sub aliis
- » latentes, aut aliter tectæ, v. g. sub corporali vel
- » mappa, aut etiam in Missali, ut ex Suar. Henriq.
- » Kom. docet Bonac. contra Lay. ( unde hoc po-
- » sitimum dubium videri potest, & saltem pecca-
- » ret graviter, qui sic tectas, aut latentes conse-
- » craret. ) Item validè consecrantur hostiæ præ-
- » sentes, à czco, vel alio Sacerdote in tenebris.
- » Ratio horum omnium, quia ad præsentiam &
- » sensibilitatem non requiritur, ut materia vi-
- » deatur, vel tangatur, vel feriaturo sono verbo-
- » rum, ( unde communiter non probatur praxis
- » eorum, qui os proxime admovent, ut halitum
- » in calicem & panem inspicient ) dummodo vi-
- » deri possit sive in se, sive in alio, v. g. in suo co-
- to;

to, vel continente, vel vase ad illam continen-  
dam destinato. V. Bon p. 5.

II. Invalidè consecratur, 1. materia post pa-  
rietem, aut post tergum posita, vel clausa in ta-  
bernaculo, ut docet Fill Bon p. 6. & alii. Ratio,  
quia moraliter censetur abesse, cum non possit  
demonstrari per *Td hoc vel hic*, neque paries  
habeat se ut continens, aut regens. 2. Materia  
valde procul, v. g. 100 passibus distans, etsi vi-  
deri possit. Ratio est eadem. Quanta autem pro-  
pinqvitas sufficit, dubium est, & ex morali pru-  
dentum iudicio pendet. Henriq. l. 8 cap. 34 do-  
cet 10. aut 30. passuum: quod Bon. l. c. & alii pu-  
tant non esse certum: V. Schol. 3. Materia tam-  
modica, ut sensu percipi non possit: tum quia  
non potest demonstrari: tum quia Sacramen-  
tum debet esse signum sensibile. Ita Suar. Vsq  
& alii, contra Sotum, Henriq. Quod intellige, si  
non sit in toto, sed extra illud: quia in toto et  
iam minimæ ejus particulæ consecrantur, ut  
constat ex Trid. sess. 23. c. 3 & 4. Bon. l. c.

Secunda conditio, ut materia sit certa, & à  
consecrantis intentione, & in individuo deter-  
minata. Est communis apud Bon. & alios, tum  
quia hoc requirunt pronomina *Hoc & Hic*; tum  
quia actiones sunt circa singularia, quæ debent  
esse certa & determinata. V. Bon. p. 5. Unde re-  
solves

I. Invalidè consecraret, qui vellet tantum  
consecrare tertiam vel mediam hostiæ partem,  
eam non determinando, vel ex multis, v. g. vi-  
ginti presentibus, tantum quatuor aut quin-  
que, nullas designando, quia non est ratio, cur  
una magis quàm altera consecraretur. Item, qui

qui

qui ex multis hostiis intenderet illas consecra-  
re, vel illas partes hostiarum aut vini, quae Deus  
elegerit, aut Titius designarit; aut partes illas,  
quae fractis speciebus sunt mansurae in conti-  
nuo, non quae excident, quia non est materia  
definita. *Bon. l. c.*

II. Non consecratur hostia, in scio Sacerdo-  
te posita, sive in Corporali, (sejuncta tamen à  
cumulo) sive infra illud, *Kon. 3. p. q. 74. a. 2. d. 3.*  
& alii. Ratio, quia non est determinata in men-  
te Sacerdotis, cujus voluntas non fertur in in-  
cognitum. Similiter non consecrantur guttae,  
quae exterius calici adherent, quia non inten-  
duntur. Imò ut probabilius docet *Suar. Regin.*  
*l. 29. cap. 2. Lay. cap. 9. Kon. dub. 3. contra Tann.*  
& *Bonac.* nec ex guttae, quae interiorius adherent,  
quia intentio Ecclesiae esse videtur, ideòque &  
Sacerdotis esse debet, consecrare id, quod per  
modum unius continui est in calice. Unde ne-  
cessarius sit de detergendis guttis sollicitum esse,  
bene faciet Sacerdos, si semel pro semper in-  
tendat eas non consecrare; uti nec micas ho-  
stias adherentes. *V. Dian. p. 1. t. 3. misc. R. 16.*  
& *p. 3. t. 4. R. 32. Esc. t. 7. E. 6.* ubi docet, Sa-  
cerdotem vi particulæ, *Hic*, tantum intendere  
id consecrare, quod per modum unius continui  
potabilis est in calice; ideòque guttulas illas  
non consecrari: Quae sententia probabilis est  
ex *Regin. Suar. Laym. n. 15.*

III. Valida est consecratio, 1. Si Sacerdos in-  
tendat consecrare ex pluribus hostiis presenti-  
bus tantum quinque, eas determinando; vel  
omnes, præter infimam & supremam cumuli;  
vel omnes partes, v. g. secundam, quartam, sex-  
tam,

tam, si sint ordine collocatz, & determinetur,<sup>20</sup>  
 unde numerandi initium sumendum sit: quod<sup>20</sup>  
 tamen grave peccatum erit. Quod si autem hoc<sup>20</sup>  
 vel alio casu, non consecratz misceantur con-<sup>20</sup>  
 secratis, totus cumulus ad altare est deferendus,<sup>20</sup>  
 ut Sacerdos intendat consecrare non consecra-<sup>20</sup>  
 tas, vel potius totum cumulum consecret sub<sup>20</sup>  
 conditione, si non sint consecratz: *Lug. d. 4.*<sup>20</sup>  
*n. 36. 2.* Et si putet unam, vel duas, vel sex ho-<sup>20</sup>  
 stias consecrandas adesse, cum fiat plures, si-<sup>20</sup>  
 ve à se, sive alio positz: quia error speculativus<sup>20</sup>  
 & privatus non obstat intentioni practicæ &<sup>20</sup>  
 absolutæ consecrandi omnes presentes, quam<sup>20</sup>  
 tanquam Ecclesiæ consuetudini conformem,<sup>20</sup>  
 quisque censetur habere implicite, ut docet<sup>20</sup>  
*Sylv. Henr. & Suar.* Unde si Sacerdos advertat<sup>20</sup>  
 post consecrationem, esse duas simul junctas,<sup>20</sup>  
 utramque ut consecratam sumet, ut habet *Mis*<sup>20</sup>  
*sale.* Si verò ante consecrationem, postquam<sup>20</sup>  
 obtulit, advertat, alteram seponet, & post *Mis*<sup>20</sup>  
*sam* ipse vel alius sumat tanquam panem bene-<sup>20</sup>  
 dictum. 3. Si quis plures hostias ad altare tule-<sup>20</sup>  
 rit, aut rationabili modo adverterit, ab alio ad-<sup>20</sup>  
 ferri à se consecrandas, vel ante Sacrificium mo-<sup>20</sup>  
 nitus fuerit de consecrandis in altari jam posi-<sup>20</sup>  
 tis. Ratio, omnes enim consecrantur, etsi<sup>20</sup>  
 dum consecrat, earum non ita expressè memi-<sup>20</sup>  
 nerit, aut etiam ad oblationem non detegat,<sup>20</sup>  
 modò sint presentes in Corporali, vel saltem<sup>20</sup>  
 in altari. Ita *Regin. n. 19. Lay. c. 2. Bon. q. 2.* &<sup>20</sup>  
 alii ab ipso citati; Estque sententia in praxi<sup>20</sup>  
 tuta, quia intentio procedens, respectu il-<sup>20</sup>  
 larum virtualiter perseverat. 4. Si parvæ ho-<sup>20</sup>  
 stie pro communicando populo afferantur<sup>20</sup>  
 Sacer-

Sacer-

»Sacrodoti paulò post factam oblationem, (ad-  
 »dit *Averſus* q. 11. f. 12. ante cœptam præfationem)  
 »licite eas consecrari, suppletâ oblationis menta-  
 »liter, ex *Gavant. & Possev. docent Dian* p. 2. t. 14.  
 »R. 71. & *Tambur. de exped. Sacrif. l. 2. c. 5.*

» Resp. II. Ad licitam materiæ consecrationem  
 »requiritur, 1. ut non fit major quantitas, quàm  
 »tempore opportuno possit absorberi, quia peri-  
 »culum esset, ne species computrescerent. *Bon. l. 6.*  
 »2. Ut ab usu Ecclesiæ, præsertim in Missali præ-  
 »scripto, non recedat. *Ex dictis resolves*

» Peccat 1. Qui vas, in quo hostiæ consecrandæ  
 »sunt, non aperit. 2. Qui consecrat materiam po-  
 »sitam extra Corporale. 3. Qui intendit conse-  
 »crare guttas calici adherentes exterius, quod  
 »esset grave; de interioribus est du-  
 »bium, (quia non constat satis de mente Eccle-  
 »siæ) ad quod evitandum, *Gavantus* p. 2. tit. 7.  
 »jubet eas abstergi, quod consuetudo probat.  
 »Qui tamen id omittit, eum non peccare, docet  
 »*Tamb. l. 3. c. 1. §. 3.* imò nec expedire, si eas ad-  
 »vertas, quando discooperto calice, jam jam es  
 »consecraturus, & elevationem populæ exspe-  
 »ctat: Post consecrationem autem nullo modo  
 »sunt abstergendæ. 4. Qui ante consecrationem  
 »ita statueret: Nolo consecrare hostias apposi-  
 »tas, nisi tempore consecrationis, vel saltem  
 »oblationis fuero memor, Ita *Præp. hic a. 2. d. 3.*  
 »*Lay. l. 6. etſi Tambur. §. 3.* eo casu nullum pecca-  
 »tum agnoscat.

## A D D E N D A.

453. Q. 82. Quid præterea sit notandum circa præsen-  
 »tiam & determinationem materiæ consecrandæ, R.  
 »seqq. §. 1.

§. 1. Materia consecranda tum dicitur moraliter præsens, quando potest demonstrari humano modo ad sensum per pronomen, *hoc* vel *hic*, independenter ab omni alio signo sensibili, *Suar. d. 43. f. 5. Bernal d. 29. f. 1. & 2. Dicast. d. 2. dub. 1.* Hinc licet panem infra pedem positum possem demonstrare per *Tò, hoc*, simul eò intento digito, aut accedente nutu, tamen non potero consecrare; uti habet communior cum *Dicast. n. 203.*, quia absente alio signo non demonstratur ad sensum per *Tò, hoc*. Putat tamen *Bernal n. 12. contra Lugo*, hostiam positam post tergum & in speculo ante Sacerdotem existente representatam posse consecrari, quia ipsa est, quæ videtur in speculo, per quod fit moraliter præsens & ad oculum demonstrabilis. Idem dicunt *Diana p. 10. t. 16. R. 41. Arr. d. 30. n. 17. Amic. d. 16. n. 123. Dicast. n. 192. contra Sol. & alios*, si quis hostiam tangat, vel in manu teneat post tergum, quia si manu teneam pomum à tergo, possum alicui dare, dicendo, accipe hoc pomum: Imò consecrationem valere putant *Vasq. & Bernal*, si quis proferens formam, digito ostendat panem post tergum existentem, sicuti de hominibus sequentibus à tergo, posset dicere, hi sunt famuli mei; quod etiam videtur approbare *Arr. supra*, sed in hoc probabilius contradicunt *Con. & alii*, quia res ejusmodi non demonstrarentur per pronomen, *hoc*, independenter ab omni alio signo sensibili, sed simul per nutum aliquem.

§. 2. Materia posita à latere validè consecratur, dummodo consecratur adhuc moraliter esse ante consecrantem, quod requiritur; hinc hostiæ  
non

non consecrarentur, si in ciborio positæ essent, non in altari, sed in credentia ad latus, *Dicast. n. 205.*

455. §. 3. Si quis notasset unam hostiam, v. g. rubricâ, & postea miscuisset multis aliis, vellétque illam solam notatam consecrare, si hæc ita lateat sub aliis, ut jam nullo sensu percipiatur, non consecrabitur, quia non est moraliter demonstrabilis, non in se, uti supponitur, nec in alio, quia licet contineatur in ciborio, hoc tamen demonstrato non magis demonstratur ipsa, quam quæcunque alia, ergo pronomen, *hoc*, non censetur determinatè afficere ipsam, *Lugo, Bernal n. 39.* Non est autem opus determinationem intentionis circa materiam ullo signo externo manifestari, quidquid contradicat *Platel. n. 325.* quia etiam necesse non est, ut intentio externè manifestetur speciali aliquo signo.

456. §. 4. Si velles illas solas consecrare, quas Petrus de facto designaret præ aliis, probabile est, quòd consecrares has designatas à Petro, quia positâ Petri designatione tanquam præsuppositâ conditione actu existente, pronomen, *hoc*, quòd profers, videtur se solo demonstrare illas hostias: Oppositum tamen videtur probabilius, quia consecrans nesciens istam determinationem Petri non censetur ipsemet per pronomen demonstrare, neque pronomen demonstrabit independentè à Petro, *Dicast. n. 219. Platel. n. 324.*

457. Q. 83. Quid præterea circa determinationem intentionis in consecrante sit notandum. R. Exposui à n. 54. qualis in Ministro Sacramentum conficiente requiratur intentio. A n. 62. dixi de errore, & erronea intentione Ministri. A n. 78. de intentione



entione conditionata &c. , quæ etiam huc spectant: suntque præterea addenda seqq.

§. 1. Quoad consecrationem hostiæ principalis non est difficultas, vix enim possibile est, ut pro hac absit intentio sufficiens, secundum dicta n. 59. E contra quoad intentionem consecrandi hostiæ minores appositæ, major est difficultas, nam si Sacristanus te advertente ciborium consecrandum posuerit in Corporali, & intenderis consecrare, communis sententia est, cum *Castrop. p. 6. n. 3. Dicast. n. 216. Busenbaum supra, consecrandas, licet potes ad illas non amplius habueris expressam reflexionem. E contra si ciborium te advertente fuisset positum extra Corporale, quamvis scivisses debere consecrari, si tamen consecrans non reflexisti te ad illas, probabilius videtur cum *Suar. Dien. Castrop. Gavant. Less. Aversa q. 1. f. 2. §. Quarto. Tamb. de Sacrif. l. 2. c. 1. §. 3. non fore consecratas, quia noluisti consecrare extra Corporale, hoc enim velle fuisset peccatum mortale, ergo videris tantum habuisse intentionem consecrandi, si assumeres in Corporale. Probabile tamen etiam est cum *Prap. Tann. & aliis, fore consecratas, quia quamvis nolueris consecrare extra Corporale, tamen potuisti velle absolute consecrare, non cogitando de Corporali, nec de assumendo in Corporale: aut quamvis volueris assumere, tamen adhuc potuisti absolute velle consecrare, quamvis per oblivionem non assumeres. Itaque cum res sit dubia, in praxi tales hostiæ erunt de novo in alia Missa sub conditione consecrandæ. Non licere autem repetere formam super mino-***

458.

res hostias, si oblitus sit consecrare cum majore  
459. hostia, dicitur l. 6. p. 2. n. 243.

§. 2. Si Sacerdos specialiter nihil intenderit circa consecrationem guttarum vini, quæ intra calicem sunt separata à vino, quod est in fundo, præter citatos à *Busenb.*, negant consecrari *Dian.* & *Hurtad.* Dicunt consecrari *Præpos. Rodrig. supra*, *Dicast. n. 223.* sed *Con. Castrop. supra* & alii distinguunt, putant enim non consecrari guttas remotas, attamen consecrari vicinas, quæ levi agitatione Calicis misceri possent, quia hæc censentur facere unum moraliter cum vino, quod est in fundo: sententiæ omnes sunt probabiles, sed secunda videtur probabilior. Pro praxi suadet *Platel. n. 328.*, si quis statim ante consecrationem advertat tales guttas vicinas, ut levi inclinatione Calicis miscrat cum reliquo vino; si autem sint remotiores, dicit, ut vel abstergat, vel excludat ab intentione; sed etiam possit includere in intentione, ne in calice sit vinum, quod non consecratur: è contra tamen non debet intendere consecrare minimas particulas panis in patena vel Corporali, sed tantum quod continuum est cum majore aut cum minoribus hostiis in patena vel Corporali depositis: Aliud est de talibus particulis panis in ciborio contentis, neque enim periculum est has perdendi, unde intendere debet eas cum reliquis hostiis consecrare, nam omnes communiter censent omnes particulas in fundo ciborii repertas esse consecratas, quamvis intentio non sciatur fuisse specialiter facta circa illas.

Quomodo ille, qui ordinatur Presbyter, formare debeat intentionem consecrandi cum Episcopo,

scopo, dicitur l. 6. p. 2. n. 2322.

Q. 84. An materia consecranda admitti possit 460.  
sub Canone. R. Possev. Dian. Quart. Tamb. de sa-  
crif. l. 2. c. 5. §. 2. Gob. t. 3. n. 85. Burghab. cent.  
2. cas. 28. dicunt posse acceptari sub canone, et-  
iam usque ad consecrationem, saltem in eo casu,  
quo si non consecrarentur hostiæ, plures dimit-  
tendi essent sine Communionem, oblatio enim  
mentalis, quæ tum fiet, manebit una moraliter  
cum priore: Si tamen uas tantum homo esset  
dimittendus sine Communionem, Gob. n. 86. po-  
tius suadet dari illi partem ex majori hostia; sed  
de hoc dicitur n. 508.

## DUBIUM VI.

*Que forma consecrationis Eucharistiæ.*

R. Esp. Est duplex, una panis, & est hæc: Hoc 461.  
est enim corpus meum. Ubi omnia sunt de es-  
sentia, præter To enim, cuius omissio est veniale.  
Altera vini, & est hæc: Hic est enim calix Sanguinis  
mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui  
pro vobis & pro multis effundetur in remissionem pec-  
catorum. Ubi etli verior & communior sit sen-  
tentia S. Bonav. Suar. Bellar. & aliorum, contra  
S. Th. & Thomist. quod essentialia sint tantum  
hæc, Hic est calix Sanguinis mei, (vel, hic est Sanguis  
meus, aut eis æquivalentia) graviter tamen pec-  
caret, qui aliqua ex reliquis omitteret, vel mu-  
taret. Debent autem formæ proferri in perfo-  
na Christi, formaliter & significativè, sive affer-  
tivè, & non tantum recitativè sive historicè,  
licet ea, quæ in Canone præcedunt, dicantur  
tantum recitativè seu historicè. V. Lay. c. 3. Bon. q.  
3. p. 2. Cardin. de Lug. d. 11. s. 5. Unde resolves

V 2

I. Va-